



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

1 De examinis conscientiæ vtilitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)



TRACTATUS IIII.  
DE MODO EXAMI-  
NANDI CONSCIEN-  
tiam,

*De Examinis Conscientiæ utilitate.*

C A P. I.



QUAMVIS per multa & varia capita potuissem explicare laudes huius nobilissimi exercitii de examinanda conscientia, tamen non sum facturus, quia existimo, me ut in tractatu de Meditatione, sermonem habere cum iis, qui magno desiderio tenentur vitæ piæ sanctæq; insituentæ. Satis ergo erit de multis duas tantum exponere huius examinis utilitates; easque cum materia Meditationum admodum conueniētes, nam altera directè seruit meditationi, altera indirectè, quia remouet magnum quoddam impedimentum.

PRIMA utilitas est, quod conciliet nobis mun-

MEDITANDI PARS III. 501

bis munditiem cordis, cui à Deo apud S. Matthæum, promissa est Dei visio. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quæ visio à facie ad faciem est reseruata in alterâ vitam. teste S. Paulo, dicente in prior epistola ad Corinthios. *Tunc cognoscam, 1. Cor. 13. sicut & cognitus sum.* Modum autem cognitionis paulo ante declararat, dicendo. *Facie ad faciem.* Est quidem hæc cognitio concessa quoq; in hac vita, sed satis imperfecta, ut ibidem affirmat Apostolus. *Nunc cognosco ex parte. Et. Videmus nunc per speculum in enigmate.* Hoc speculum autem esse creaturas declarauit initio epist. ad Romanos, dum ait. *Inuisibilia ipsius à creatura mundi Rom. 1. per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Qua sententia vides Apostolum declarasse, quod ex notitia harum rerum inferiorum, quam diximus meditationis beneficio obtineri, ascendamus ad notitiam Dei, rerumque coelestium.

UT autem intelligamus, qua ratione Examen consciëntiæ hunc effectum gignat, sciendum est, peccata venialia, si multa sint, ac fiant maxime cum quadam voluptate animi, eum effectum gignere in anima, quæ multa vela licet subtilia, in oculo cog-  
 li 3 poteo.

poreo Sicut enim vno eorum oculis imposito, oculi minus vident, & multo minus, si duo, tria, quatuor ordine imponantur, sic quo pluribus venialibus noxis anima inquinatur, hoc minus ad contemplandum valet. Loquor de venialibus tantum (nam lethalia prorsus excæcant.) Exemplo sit halitus humanus, qui licet tenuissimus sit, tamen ita obnubilat ocularia, vt nihil per ea videre possis. Itaque quemadmodum is, qui habet oculos velis obductos, ea remouere debet, si velit effigiem elegantem artificiosè & subtiliter pictam intueri: ita si nos velimus Dei mirabilia perspicere in creaturis, operam dare debemus, vt peccatorum venalium nubē ab anima remoueamus. Huc videtur spectasse Dauid, cum diceret in psalmis. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Hæc leuia peccata videtur & Dominus designasse, per squamas oculis D. Pauli, quando de cælo conuersus est, impositas, quibus dilapsis mox visum recepit.

Mal. 118.

Act. 9.

AD HÆC sciendum est in oculis animæ perinde generari vela, ac pellicula quædam subinde gignitur supra oculos corporis, quæ prohibeat visum. Nam sicut hæc producit ex humore initio subtili & cla-

ro, postea autem calore naturali augetur & condensatur, vt tandem ex pellucida fiat opaca, sic peccati venialis velum initio exiguum est & leue, sed postea per concupiscentiæ calorem, aliasque circumstantias & adiuncta valde augetur: sic vt paulatim ad eum peccatoris statum, non animaduertens, perueniat, de quo vaticinatus est Iob, dicens. *Qua nolebat tangere anima mea, nunc pro angustia cibi mei sunt.* Et idem fatetur S Augustinus in libris Confessionum, dum ait. *Quoties narrantes inania, primo quasi toleramus, ne offendamus infirmos, deinde paulatim libenter aduertimus.*

Iob. 6.

Aug. 10.

confess. 6.

35.

Denique sicut peritus medicus, qui non potest impedire dicti humoris defluxum in oculum, id laborat vnicè, vt congruentibus antidotis quamprimum eum tollat antequam condensetur, sic nobis faciendū est in presenti negotio animæ. Faciemus autē officio nostro satis, si ad auditotū sacræ Confessionis defugiamus. Verum sicut idē Medicus conatur humorem totū in vnā oculi partē attrahere, vt eo facilius purgatio remedio illi extrahat: sic huius examinis beneficio, quasi scopis omnes peccatorū sordes in vnū locū colliguntur, cōueniēter illi dicto

*Pfal. 76.* Psalmi Scopebam Spiritum meum. Nec volo desperare eum, qui ob nimiam antea vitæ licentiam iam oculis animæ velum obduxit. Nam sicut caliginē oculorum corporalium laboranti medici possunt succurrere restituendo lucem, sic poterit & iste sperare, eoq; confidentius, quo peritorem habet medicum, nempe Deum: ad quem recurrebat David, cum diceret *Revela oculos meos.* &c. Quanquam negandum non est opus esse labore & sudore, sicut & in pellucula oculis corporalibus detrahenda.

RESTAT nunc ut ad alteram utilitatem transeamus, quæ erat, quod Examinis conscientiæ beneficio ingēs quoddam impedimentum rectè meditari volenti tollatur, nempe aculeorum & scrupulorum animi, qui summam molestiam afferre solent in rerum diuinarum consideratione: sicut enim in lecto spinis repleto collocatus quiescere non potest, sed nunc in hanc, nunc in illam se volutat partem, sic qui scrupulis conscientiæ angitur, ab vna consideratione in aliam misere depellitur. At Spiritus deuotionis locum pacificum tanquam proprium sibi vendicat. *Et factus est,* inquit propheta David, *in pace locus eius.* vnde & sponsa huius conditionis memor. inuitat  
Sponsum

*Pfal. 73.*

sponsum suum his verbis. *Ecce tu noster sponsus Cant. x.*  
*du.* Dico itaq; vnumquemq; nostrum, vbi  
 examina conscientiae fecerit secundū mo-  
 dum iam subiiciendum, contētum esse de-  
 bere confessionibus sacramentalibus iuxta  
 ea institutis: nam cum omnem diligentiam  
 moralem adhibuerit, fas non est, vt agitari  
 se sinat importunis suspicionibus, num re-  
 ctè confessus sit, an memoria aliqua exci-  
 derint, num expresserit omnes circumstan-  
 tias, & similia.

Ex quoniam commodissima examinan-  
 da conscientiae ratio est, quam B. P. Igna-  
 tius praescribit in Exercit. spirit. libro quinq;  
 nimirum punctis comprehensa, totum tra-  
 ctatum in his exponendis consumam.

## PUNCTVM I.

*Gratias agere Domino Deo, pro beneficiis  
 tam generatim, quam speciatim  
 maxime eo ipso die acceptis.*

### C A P. II.

**H**Oc primum punctum, sicut & secun-  
 dum sunt quasi praeludia vel introdu-  
 ctiones ad Examen, & convenientissime  
 praemittuntur vt in demonstrabo. Num  
 si s quod